

¶ 5 ¶

spicuis, tam loquendi formulæ, quām dogmata, quæ, dum ad propagandum haud sicutæ pietatis exercitium conferre debebant, à forma sanorum verborum discrepare videbantur. Qvorum potiora nos docuit D. Fechtius in Proœmio Collegii Anti - Pietistici §. 7. quæ omnia producere nec hujus est loci, nec mei nunc instituti, nec clarissimos meos Dominos Commilitones latet. Sufficiat hac vice unam tantum ex illis adducere thesin, quippe quæ præsenti nostræ materiæ elaborandæ simul occasionem dedit & seqventibus exprimitur verbis: *Reclius est indifferentibus rebus, utpote convivij, saltationibus, alijsq; hujus generis ludis penitus abstinere, quām bisce rebus, plane nibil in se, quod ad gloriam Dei facit, babentibus, operam dare.* Hoc assertum, cum expressè Theologis nostris, tam eximia pietate quām profunda ac solidâ eruditione illustribus, qui harum rerum indifferentiam jam à Lutheri temporibus usque ad nostram ætatem, adversus morosos atque rigidiores Calvinianos strenue defenderunt, contradiceret, factum est, ut hic novitatis pruritus à Theologis pro salute Ecclesiæ excubantibus haud immerito notâ censoria fuerit castigatus. Cum autem Dn. Spenerus Apologiam ederet, assertumq; suum defenderet; plurimiq; alii, qui ejus partibus adhuc rere videbantur (sed neq; eruditione, neq; prudentia, neq; moderatione simili gaudentes, Judice *Fiebino* nostro) Scriptis per multis, maxima animi vehementia ac pertinacia idem propugnarent, maximum certamen inde est exortū. Scripta singula recensere, cum iis omnibus instructi heic loci esse nequeamus, nostri non est negotii, adducemus tamen seqventia, quæ in manus nostras pervenerunt. Ediderunt sic dicti *Prenst & Gothani*: Confessionem suam, in qua inter alia omnes res indifferentes rejecerunt, atq; provocarunt ad tres conciones D. Speneri. Von der verbotenen Welt-Liebe/ Francofurti habitas, ubi in præfamine certas quasdam regu-

A;

regu-